



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

B. Joannes Angelus Conf. 24. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

periculosius longè certamen hoc MARCIUS credere; non jam ludere, sed fugere, sed in faciem abjectus, nec oculo hostem audere aspicere. Cessit tamen etiam hæc, atque ne victam dubitares, mortua corruit. & subinde alii sanctiore consilio ad MARCIUM inviserunt; quos inter puerum memorant, fallente vestigio, in subjectam vallem innoxie lapsum. Quid? quòd saxum ingens spelæo imminēs, & à rupe suâ avulsum, saltu MARCIUM transit: qui jam à principio catenæ, quæ modum ambulationi præscriberet, pedem alterum illigavit; monitus tamen à D. Benedicto amoris potius funiculis teneri vellet, catenam quidem posuit, cæterum longitudinem ejus numquam excessit, nisi cum excedere denique mors felix jussit. Ex S. Greg. P.

Cum finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit quod modo cum tantâ curâ queritur, & cum solitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ querenda sunt, quæ dimituntur. Illa diligamus, quæ sine fine habebimus; illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur. S. Greg. l. 6. Regist.

B. JOANNES ANGELUS CONF.

24. Octobris.

JOANNEM ANGELVM exhibeo, vel nomine suo debitum VIRGINI; cui nempe si immortales illi Angeli servire gaudent, quidni noster etiam? Atque hoc est, quòd Mediolani in liberâ nobiliq̄ue familiâ natus, annumerari tamen Florentiæ Servis MARIÆ præoptârit. Ibi illum, ut scias quòd vota sua miserit, abiisse inter preces in aëra ajunt, multaque alia fecisse, quæ posteris miramur. Sola castissimi interula innumeris parientibus auxilio velut

velut obstetrix salutaris adfuit. Racemum cum è vite aliò tulisset, & agrè alii hoc ferrent, viti suæ quàm mox ita restituit, ut ne cicatricem è vulnere superstitem cerneret. Illud omnino & scriptu & lectu jucundum, VIRGINIS *seruo*, ANGELO inquam nostro, feliciores illos Angelos inserviisse. Nam fuit, cum è morbo decumbenti incidere venam medicus constituit. Hic, absentibus omnibus aliis, adfuere è cælo ephebi gemini, cælo ipso suo formosiores, qui lumen aliave ministrarunt, & sanguinem ægri obsequiosi exceperunt. Tanti sanè erat omnem omninò sanguinem prodigere. Certè tam duriter vixit JOANNES, ut præter cutem & ossa vix quidquam hominis jam haberet, eò rectius ANGELVS dicendus, quò minus jam carnis illi erat. Hanc denique omnem posuit anno partæ salutis M.D. VI. Laudes ejus funebres (quòd puto impar his lingua esset) campanæ sponte impulsæ cecinerunt. *Ex Ferrar.*

De dilectione Conditoris lingua, mens & vita requiratur. Numquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est. S. Greg. Hom. 30.

SS. CHRYSANTHUS & DARIA MM.

25. Octobris.

CHRYSANTHVS patre natus Polemio senatorii ordinis viro, dum fortuitò in manus sumit, quem Evangelii librum dicimus, legitque, manus dare Christo discit, brevi lectione longè plurimùm edoctus. At Polemius, ut filium à Christianâ disciplinâ dimoveret, nihil non movere, carcerique demùm mancipare. Sed hic gymnasi instar virtuti erat. Ergo ad insidias amico-

rum